

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8578

**Auteur(s) :** Baudric de Baudemont [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1145

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Baudric de Baudemont confirme la cession d'une terre sise à La Mésangère à l'abbaye de Mortemer. Belotus, fils d'Hiter de Noyon, a donné aux fils de Richard du Plessis une terre sise à La Mésangère que son père avait achetée aux vavasseurs de Verclives et de Lisors. Les fils de Richard donnent cette terre aux moines de Mortemer et désormais ceux-ci payeront la rente annuelle de 7 sous de Rouen dus auxdits vavasseurs pour cette terre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century, its History and its Cartulary*, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 83, p. 246-248.

Texte d'après a

[I]n nomine sancte et individue Trinitatis. [E]go Baldricus de Baldemont notum fieri volo universis fidelibus tam presentibus quam futuris quod Belotus filius Hiteri de Noiun donavit terram de Musingera filiis Richardi de Plaisseto, Hugoni scilicet Radulfo atque Waltero, propter pacem restituendam inter se et illos qui propter interfectionem patrum suorum invicem dissidebant, quam terram Hiterus emerat sibi et heredibus suis, libere in perpetuum possidendam exceptis .VII. solidis Rotomagi, vavasoribus (sic) de Warclive et de Lisors, qui illam sibi vendiderant, et eorum successoribus singulis annis ad festum sancti Remigii persolvendis, quorum nomina sunt hec : Hugo Guerner, Robertus Marcafessa, Ebrouinus de Altavenna, Hugo Pinel et Radulfus fratres, Radulfus de Mucegros. Eoque pacto data est terra filiis Richardi ut ipsi Deo et sancte Marie et conventui fratrum de Mortuomari eandem terram in elemosinam donarent, ita ut ipsi fratres terram omnino libere in perpetuum possiderent exceptis .VII. solidis Rotomagi his qui Hitero terram vendiderant et eorum successoribus singulis annis ad festum sancti Remigii persolvendis. Quod ita fecerunt. De hoc testes sunt : Radulfus decanus de Fraignes, Richardus sacerdos de Strepeni, Nicholaus sacerdos de Salchei, Engelrannus de Wascuil, Robertus de Dangu, Walterus de Cantalou, Willelmus de Vendrimara, Osbertus de Manecavilla, Hugo de Lisors, Paganus de Coldrei, Arnulfus prepositus de Lisors, Robertus Pinel de Lisors. Hoc autem totum concesserunt vavassores qui Hitero terram vendiderant, tam illi qui adhuc tunc temporis supererant quando donatio facta est quam successores eorum qui decesserant, quorum ista sunt nomina : Hugo Guerner cum filiis suis, Nicholao videlicet Ebrouino, Radulfo et Odone, Radulfus Baignardus et Odo et Robertus fratres eius, Radulfus de Mucegros, Robertus Pinel, Richardus filius Radulfi Pinel. Hoc etiam concessit Postel, tenens terram Roberti Marcafesse, qui Robertus unus fuerat de his qui terram vendiderant, non solum quod ad ipsius Roberti hereditatem sed etiam quod ad suam propriam pertinebat, promittens tam ipse quam Hugo Guerner quod ad usum predictorum fratrum ipsam terram contra omnes tuebuntur. De hoc testes sunt : Hugo de Noers, Robertus de Faisnes, Odo Bendengel, Willelmus Mansel, Nicholaus

de Leri, Idem promiserunt et reliqui unusquisque quod ad se attinet. Quod totum ut semper ratum permaneat pro salute anime mee et filiorum meorum et Willelmi camerarii de Tancarvilla et Rabeli filii eius omniumque amicorum meorum concedo et ego Baldricus et filii mei, Gobelus videlicet Warnerus, Hugo, Walerannus et Hugo, et promittimus nos contra omnes homines tuituros (sic) testimonio prescriptorum testium, Hugonis scilicet de Noers et Roberti de Faisne, Odonis Bendengel, Willelmi Mansel, Nicholai de Leri. Et preter ista quicquid de feodo meo racionabiliter adquisierunt vel adquirere poterunt concedo ego atque sigilli mei impressione confirmo. Actum anno ab incarnatione domni MCXLV, indictione VIIIa.